



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Quid ab hac Historia sit expectandum? n. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

Vnde Calumniam  
Conspirationum,

potestate facta tecta maneret, Pictas Crimini fuit, & quo maiori studio isthinc ad laborabatur ut ne quid virtuti Christiana & obedientia & venerationis decederet, eo acriori conatu intendebat se heresis ut simul virtutem, virtutisque fulcimentum prostigaret. Quoniam vero tum virtus potentius opprimitur cum ei vitij nomen adhaerit, quidquid moliri poterant ardentissimi Catholicae Fidei emulatores, id inobedientiae, Regiorum edictorum contemptui, subditorum à legitimo Principe abalationi, in vitam Regum & sanguinem Conspirationi tribuebatur. Si quis ad Ecclesiae gremium heresi eiurata redisset, Laetae Majestatis reus dicebatur, qui eum reduxerat, conspirasse: Si Iuuentuti erudienda Seminaria extra Insulam beneficio Catholicorum Principum erigebantur, si Adolescentes educandi extraherantur, si vel Agni Cerei, vel globuli à Pontifice benedicti distribuabantur, una omnia nota apud vulgus infamabantur, Conspirationis: scelera, si Dijs placet, vel morte vel bonorum additione eluenda. Quod semel monitum volui lectorem, ut cum non minus de ipsis verum perspexerit, quam

Esai, 8, 12.

olim de Iudaeis, quod omnia quae loquitur populus iste, coniuratio est; intelligat, id non gestorum merito, sed indignantium suae Hereticorum suae politicorum dandum audaciae, quae res maxime salutare, quas ratione non potest, invidia odioque nominum conatur subvertere. quam namque sit Catholica ipsa Fides Regibus fidelis, nil opus est verbo dicere tibi facta clamant, paucorum sub Iacobo inconsideratissima temeritate, plurimorum sub Carolo voluntario sanguine expiata.

Quid ab hac Historia expectandum.

XIV. Harum autem rerum imitia & progressus dum prosequor, non mira, sed vera expectanda erunt, nec quae ex virtute acta sunt omnia, sed quae per temporum variationes, per locorum difficultates, per fugientium latebras, per insequentium perscrutationes, per commentariorum pericula superesse potuerunt. Ut aequi bonique consulere debeat amicus lector, si pauca de multis, & spe minora narrentur; sicut enim collapsis aedibus, qui inter rudera integram speraret eruere supellectilem, aut illustrem, vanus esset; ita inter tot annorum turbines tempestatesque gestorum omnium illibatam seriem texere impossibile est: Praeterquam quod nulla usquam Historia cuncta complexa est. Ea quae ad exemplum praecipue valent, quae ad causae momentum faciunt maxime, cum conor exponere, Deum precor, ut & conanti adsit propitius, & laborem, qualicumque is est, praestet legenti esse utilem, Ecclesiae Sanctae honorificum.

HIS.